



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

III. De Christiano non vendendo extra regnum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

XXVI. De eo qui excommunicatum vel vitlagatum custodierit. XXVII. De misericordia exhibenda. Pii regis pia peroratio.

PRO O E M I V M.

HÆC illa humana atque politica sunt iura, quæ sapientum adhibito consilio per omnem Angliam obseruari præcipio.

LEGES ECCLESIASTICÆ.

I.

In primis iustæ leges vt efferantur, iniustæ deprimantur, volo. Iniquitatē atque iniuriam pro sua quisque virili parte omnem e regno radicitus euulsam funditus extirpato, iustitiamque extollito diuinam. Ad posterum vero inopes æque atque diuites digni qui iure fruuntur legitimo putandi sunt, atque vtrisque ex æquo & bono ius reddendū.

II.

Edocemus autem, vt si quis in re deliquerit aliqua, adeoque capitale aliquod crimen admiserit, ea tamen in multa irroganda adhibetor moderatio, vt ad diuinam clementiam temperata hominibus tolerabilis esse videatur. Et quidem animo cogitet, qui iudicia exercet, ipse quid petat cum ad hunc modum loquatur: *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus*, &c. Interdicimus autem ne Christianus quisquam ad mortem exiguæ alicuius & contemnendæ rei causâ mittatur: quin potius miti & moderata ad reipublicæ vtilitatem vtendum erit animaduersione. Neque enim pro tantulo opus manuum Domini, quodque ipse ingenti redemit precio, deperire sinant.

III.

Prohibemus autem, ne Christiana fide tinctus quispiam a regno procul amandetur, neve ad eos qui nondum Christo fidem adiunxerunt relegetur: ne eorum aliquando fiat animorum iactura, quos propria Christus vita redemit.

IV.

Præterea etiam præcipimus, ditio vt hæc nostra vndique purgetur, atque a nefariis sceleribus vsquequaque temperetur. Tum, si sagæ, ariolantes mulierculæ, tabificæ, meretrices foedæ ac flagitiosæ sicubi in regno deprehen-